



Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

2. An Baptismus collatus ab hæreticis sit invalidus defectu debitæ intentionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

*non agit
sti, sicut
hominus,
siritur ad
ter sit in
scramen-
fectionem
st verum
a adjint,
um non
am, ergo
us, qui
extra Ec-
cipit Sa-
a Eccle-
Eccle-
Eccle-
iis qui
st enim
ptismus
sp. Ex
adulto
ter Ex-
Th. ubi
t, scil.
iter ille
perci-
ndan-
tem,*

rem nisi forte per ignorantiam excuse-
tur.

ARTICULUS II.

*An Baptismus collatus ab hereticis sit
invalidus defectu debitæ in-
tentionis.*

Quod intentio ministri requiratur in col-
latione cuiuscumque Sacramenti, est cer-
tum. De quo agit S. Thom. 3. p. q. 64. a. 8.
Quia, inquit, ea quæ in Sacramentis aguntur
possunt diversimodè agi, sicut ablutio aquæ, qua
fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam
corporalem & ad sanitatem corporalem, & ad
ludū, & ad multa alia hujusmodi, & ideo oportet
quod determinetur ad unum. Et ne dicatur, quod
actio instrumenti non perficitur secundum in-
tentionē instrumenti, sed secundum intentio-
nem principalis agentis, qui in Sacramentis est
Christus Dominus, quâ ratione præcedentis
articulo ex eodem S. Doctore probavimus
fidem ministri non requiri ad validitatem bap-
tismi. Ipse respondet ad 1. dando differen-
tiā inter instrumenta inanimata & animata,
videlicet. *Quod instrumentum inanimatum non
habet aliquam intentionem respectu effectus,*
sed

sed loco intentionis est motus; quo movetur à principali agente. Sed instrumentum animatum (scut est minister) non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum suā voluntatē movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, quā se subjiciat principali agenti

Inquirendum ergo est qualis intentio ad valorem Baptismi, & aliorum Sacramentorum requiratur. Quod S. Doctor resolvit verbis immediatè sequētibus, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia. Quod etiam exprimitur clare in Concilio Florentino, quod decernit Sacraenta perfici personā Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Baptizans enim cùm sit Minister Christi, per Ecclesiam operari debet & secundū intentionem Ecclesiae.

Sed hinc alia & præcipua difficultas exurgit, quidnam sit intendere facere quod facit Ecclesia. Si enim hoc intelligi debeat de vera Ecclesia Catholica, quæ est Romana, nullus hæreticus habebit debitam intentionem, cum hoc ipso quod hæreticus sit, non credat Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quam proinde abominatur. Tum etiam, quia moderni hæretici non credunt per baptismum tolli peccatum originale, sed vel illud non admittunt, vel saltem sustinent hoc Sacramentum tantum esse signum ablationis peccati originalis.

Resp.

Resp. Quod non sit alia intentio Ecclesiae Catholicæ, quam intentio Christi, in conferendo aut conficiendo Sacra menta. Licet igitur hæreticus non agnoscat Ecclesiam Catholicam ut veram, imo ipsam abominetur, & consequenter nolit suam intentionem illi Ecclesiae ut tali conformare; per hoc tamen quod intendat facere quod Christus instituit, virtualliter habet eandem intentionem, quam habet etiam vera Ecclesia Catholica, quæ est Romana. Multò minus obest aliis error, quod per Baptismum non tollatur peccatum originale; quia enim minister in Sacramentis instrumentaliter tantum operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi, qui est causa principalis. Ideo quidquid credat baptizans de effectu hujus Sacramenti, ipsum validè confert, si adsint cætera. Quod declarat S. Thomas ubi supra art. 9. ad. 1. Non obstante infidelitate potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet estimet id nihil esse. & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia sicut dictum est, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cuius fide suppletur id quod deest fidei ministri. Et sic etiam sufficit intendere baptizare secundum intentionem & institutionem Christi.

ARTI-

Resp.